

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1902

**Auteur(s) :** Hugues de Morville, Coutances (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Coutances (hôpital-Dieu)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1221

**Action juridique :** confirmation générale

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Hugues, évêque de Coutances, confirme les biens de l'hôpital de Coutances.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Constantiensis, n° XXX, col. 255-257.

b. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° XXXIII, p. 25-27.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus ad quos praesens scriptum pervenerit, Hugo Constantiensis episcopus et capitulum Constantiense, salutem in Domino. Cum justum sit et honestum eleemosynas et virorum possessiones religiosorum sub sanctae ecclesiae custodia communiri, nos charitatis intuitu hospitali sancti Spiritus et beati Antonii Constantiensis ad sustentationem pauperum ibi commorantium, fructus ecclesiarum et alia beneficia in nostra dioecesi appropriavimus, et in puram et perpetuam eleemosynam confirmavimus. Eadem beneficia et benefactorum nomina rei gestae veritas docet memoriae commendando, sicut in sequenti scripto continetur. Ego siquidem Hugo Constantiensis episcopus, ad quem jus patronatus ecclesiae de Campomotos noscitur pertinere, ex donatione et concessione domini Guillelmi de Sola, divinae pietatis intuitu dedi et concessi dicto hospitali ad sustentationem pauperum ibi commorantium, in puram et perpetuam eleemosynam, duas garbas decimarum ejusdem villae, cum medietate terrarum eleemosynae et medietate domorum in ipsis aedificatarum. Dedi et concessi eidem hospitali patronatum ecclesiae S. Salvatoris de Pomeria, ad me pertinentem, ex donatione Hugonis de Doilis et Mabirae uxoris suae, Guillelmi Liece et Joannae uxoris suae, Richardi de Spina et Thomasae uxoris suae, cum duabus garbis decimae ejusdem ecclesiae, retenta tertia garba . . . . . sacerdotis in eadem ecclesia administrantis. Bag. Borel presbyter, charitatis intuitu, interveniente assensu Guillelmi et Roberti fratrum suorum, dedit . . . hospitali praesentationem ecclesiae sancti Stephani de Belmesnil, cum duabus garbis decimae ejusdem villae, ecclesiae salva redecima unius garbae, quam pater ejus contulit ad dictae ecclesiae luminare. Robertus de Dangeio miles, de assensu filiorum suorum Guillelmi et Roberti, resignavit in manu nostra jus patronatus ecclesiae de Dangeio in tertia garba et altelagio quod ad ipsum pertinebat, et obtulit illud supra majus ecclesiae Constantiensis altare, ad opus pauperum saepe dicti hospitalis. Fulcho Paganelli miles, dedit et concessit eidem hospitali in puram et perpetuam eleemosynam, duas garbas decimae de suo dominio apud Bricuevilla, quas magister Guillelmus Lecheminant vita comite possidebit. Fulcho Meurdrac miles, dedit et concessit saepe dicto hospitali, duas garbas decimae S. Petri de Mesnillo Rogues in perpetuam eleemosynam, retento suo et suis heredibus jure praesentationis vicariae

ecclesiae praedictae. Herbertus de Morevilla miles, dedit et concessit saepe dicto hospitali in puram eleemosynam, jus praesentationis medietatis ecclesiae suae de Morevilla, quod ad ipsum pertinebat. Robertus Tesson miles, dedit et concessit eidem hospitali in perpetuam eleemosynam, decem quartarios frumenti percipiendos annuatim die festi sancti Michaëlis, in molendinis suis de Prepo et de Cheiffresne. Joannes de Porta dedit et concessit eidem hospitali in puram eleemosynam. . . . . frumenti percipiendos annuatim in molendino suo de Sola, per manum suam vel illorum qui molendinum suum . . . . . ejusdem villae . . . . . Fulcho . . . . . dedit et concessit saepe dicto hospitali, totum nemus quod habebat apud vadum Herberti, cum terra in qua situm est, possidendum in puram eleemosynam, et pauperibus ibidem commorantibus. Joannes de Bosco filius Roberti de Bosco, Richardus et Guillelmus fratres ejus, dederunt et concesserunt dicto hospitali in puram eleemosynam, omne jus quod habebant et habere possent jure hereditario, et heredes eorum in bosco de Valle et . . . . . scilicet a bosco canonicorum de Lucerna usque ad collem de Perella in longum, et una virgata terrae in eodem colle ; et in latum a superiori terra arabili usque ad terram Michaëlis de Pro, quae est in fundo dictae vallis, et in undecim pedibus terrae in superiori terra arabili: pro hac autem donatione et concessione dicti fratres receperunt de bonis ejusdem hospitalis, viginti septem libras Turonenses. Rad. Jugan miles, Liegart de Vandeleia, Alina et Laurentia sorores dictae Liegart, donaverunt et concesserunt saepe dicto hospitali, in puram eleemosynam, boscum qui nominatur Lacoarde apud Vandeleiam, cum terra in qua silva est, cum duodecim pedibus terrae adjacentis ad clausuram ejusdem bosci: dederunt etiam et concesserunt eidem hospitali boscum qui dicitur Lacoardele apud Vandeleiam, et terram in qua situs est. Pro hac autem donatione et concessione praedictus Rad. et praedictae sorores receperunt de bonis ipsius hospitalis triginta quinque libras Turonenses. Item, praedictus Rad. Jugan dedit et concessit saepe dicto hospitali pro sex libris, decem et octo solidis Turon. septem virgatas terrae et dimidiam, quas fratres ejusdem hospitalis intra fosseia sua Coardellae incluserunt, exceptis duobus pedibus terrae, quos reliquerunt extra fosseia ad impartendum ea prout necesse fuerit. Item, Michaël de Pro, Rob. fratres ejus, dederunt et concesserunt eidem hospitali in puram et perpetuam eleemosynam pro quinquaginta solidis Turonensibus, unam virgatam terrae de dominio suo, quae terra adjacet bosco ejusdem hospitalis in vallibus de Sola, in qua sunt fossata ad clausuram ejusdem bosci ; ita quod fratres hospitalis reddent inde annuatim dictis fratribus et eorum heredibus duodecim denarios usualis monetae ad nundinas Montis-Martini. Concesserunt etiam eidem hospitali, ut in duodecima pertica muri sui qui claudit boscum praedictum a capite quod est versus occidentem, portam habeant per quam quadrigae et plaustra cum opus fuerit intrare praefatum boscum et exire possint, et carreriam quadrigis et curris, hominibus et summariis ejusdem hospitalis, quam carreriam praedicti fratres et eorum heredes dicto hospitali garantizare tenentur ab ipsa porta praefata usque ad cheminum regium. Quod ut firmum et stabile in posterum perseveret, praesentis paginae testimonio et sigillorum nostrorum munimine confirmavimus. Actum anno gratiae millesimo ducentesimo vigesimo primo.